Zu

der siebenundneunzigsten

Sommerschen Redefeierlichkeit,

welche

Sonnabend den 20. December früh 10 Uhr

in dem Gymnasium

stattfinden wird,

ladet ergebenst ein

Oberschulrath Dr. Karl Wilhelm Müller,
Gymnasialdirector.

Vorausgeschickt sind:

Emendationes Platonicae, von dem Gymnasialdirector Dr. Müller.

Rudolstadt, 1862.
Druck der F. priv. Hofbuchdruckerei.

Dialogorum Platonicorum verba per egregia auxilia accuratiore in bibliothecis Italiae, Galliae, Hispaniae porro instituta investigatione reperta et per sagacitatem virorum doctorum nunc minus vitiis repleta et apertiora ad intelligendum sunt, quam ante Henrici Stephani tempora erant et Stephanus ipse a vitiis multis ea purgata dedit; attamen etiam nunc non pauca vitia in iis reperiri possunt, imo vero nimis diligenter auctoritatem bonorum codicum sequentes viri docti ea corrupisse, quae prius recte legebantur, et falsa inter verba Platonis recepisse mihi nonnunquam videntur. Exemplorum, quae ad manus sunt, unum, quod in dialogo, qui Critonis nomine inscriptus est, hac occasione scribendi data pertractare volo. In illius dialogi capite XIII. pag. 51. d. Stephan. Plato leges Socratem sic alloquentes inducit: *Σκόπει τοίνυν, ὦ Σώκρατες, εἰ ἡμεῖς ταῦτα ἀληθῆ λέγομεν, ὅτι οὐ δίκαια ἡμᾶς ἐπιχειρεῖς δρᾶν, ἃ νῦν ἐπιχειρεῖς. ἡμεῖς γάρ σε γεννήσαντες, ἐκθρέψαντες, παιδεύσαντες, μεταδόντες ἁπάντων ὧν οἷοί τ᾽ ἦμεν καλῶν σοὶ καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσι πολίταις, ὅμως προαγορεύομεν τῷ ἐξουσίαν πεποιηκέναι Ἀθηναίων τῷ βουλομένῳ, ἐπειδὰν δοκιμασθῇ*[1]) *καὶ ἴδῃ τὰ ἐν τῇ πόλει πράγματα καὶ ἡμᾶς τοὺς νόμους ᾧ ἂν μὴ ἀρέσκωμεν ἡμεῖς, ἐξεῖναι λαβόντα τὰ αὑτοῦ ἀπιέναι ὅποι ἂν βούληται.* Id est: Considera igitur, Socrates, num haec vera dicamus, injuste te ad hoc faciendum aggredi, ad quod aggrediaris. Nos enim, quae te procreavimus, educavimus, erudivimus, omnium quorum poteramus te et omnes reliquos cives participes fecimus, pronunciamus tamen eo, quod cuilibet Atheniensium potestatem dedimus, ut, quum exploratus sit perspexeritque rempublicam et nos leges, si ei non placuerimus, sublatis rebus suis ei concessum sit abire, quocunque voluerit.“ Quorum vocabulorum quod in plurimis et optimis codicibus legi videtur *δοκιμασθῇ*, i. e. exploratus sit, magnis obstructum est difficultatibus, quae a nullo recentiore interprete neque solutae neque remotae sunt. De quanam exploratione vel probatione, quae Atticae civitatis ritu et more recepta erat, Plato loquitur? num de probatione, qua magistratus, prius-

---

[1]) Haec scriptura invenitur in edd. Bekkeri, Stallbaumii et Turicensium, fortasse etiam in editione C. F. Hermanni, vid. infra adnot. 4. In bibliotheca Rudolstadiensi neque Stephaniana editio Platonis neque ulla editio critica invenitur.

quam munus susciperent, examinabantur, an de probatione, quae juvenibus, quum tabulis curialium inscribebantur et jusjurandum civile jurabant, subeunda erat? Quodsi vocabulum δοκιμάζεσθαι de probatione magistratuum dictum esse putaremus, Atheniensibus morem singularem, qui nihilominus lege esset constitutus, adscriberemus. Si quis enim emigrandi veniam nancisci voluisset, necesse fuisse putaremus, non solum eum magistratum electum, sed etiam dignum, qui munere fungeretur, habitum esse; alii vero ut emigraret concessum non fuisse diceremus. Porro statuendum esset, loco electi et probati magistratus, qui emigrasset, subsortitum vel subrogatum munere ejus esse functum[2]), i. e. minus hoc honore dignum et idoneum. Sin autem sumimus electis et probatis magistratibus tum demum emigrationem concessam fuisse, si munere jam functi essent; iis, antequam emigrassent, quum ὑπεύθυνοι essent, etiam ratio muneris perfuncti apud logistas erat reddenda, sine qua non solum emigrandi, sed ne exeundi quidem ex urbe venia iis data est. Platoni igitur inprimis haec ratio (εὔθυναι) nominanda fuisset, cui nunquam nomen δοκιμασίας imponitur. Sed qua re sive Athenienses sive alius civitatis cives permotos dicamus, ut tam singularem legem proponerent, qua nemini emigratio concessa esset, nisi magistratibus vel electis vel munere bene functis? Quum denique lex de probatione magistratuum lata id inprimis spectaret, ne quis minus dignus et idoneus ad munera reipublicae admitteretur[3]); quoquo te vertis, si Platonem de probatione magistratuum loqui statuis, magnis, quae removeri non possunt, difficultatibus occurris.

Sed fortasse Plato de **probatione juvenum** Atheniensium loquitur, eoque modo Stallbaumius, Heldius, Cronius[4]), alii voc. δοκιμάζεσθαι interpretati sunt. Probationi (δοκιμασίᾳ) illi omnes omnino juvenes Athenienses duodeviginti fere annos nati subjiciebantur, ut cognosceretur, possentne recte et jure legibus de civitate adipiscenda diversis temporibus latis in civium numerum adscisci atque ad munera fungenda admitti. Quibus cognitis juvenes in tabulas curialium (τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον) inscribebantur, ἔφηβοι nominabantur, inter viros numerabantur et comitia adire suffragiaque ferre poterant[5]). Alternis deinde annis hi ἔφηβοι in concionem in theatrum convocatam producti, hasta et scuto donati et in fanum Aglauri perducti jusjurandum praestabant. Quo facto unum vel duos annos externae militiae

[2]) Harpocrat. lexic. rhet. s. v. ἐπιλαχών Schoemanni jus public. pag. 293.

[3]) Schoemann. Jus publicum. Cap. V. §. 38, p. 238.

[4]) in adnotationibus ad l. l. Critonis. Etiam C. F. Hermannus aliquid simile statuisse videtur. Vide ejus Antiquitt. public. §. 123, 12.

[5]) Schoemann. comit. p. 379.

immunes erant, *περίπολοι*, i. e. circuitores nominabantur et ad agros a furibus et castella Atticam cingentia ab hostibus defendenda adhibebantur[6]). Si Platonem de hac probatione loqui statuimus, vix aptam causam invenire possumus, qua Athenienses permoti iis tantum juvenibus emigrandi veniam dederint, qui jure et legitime civitatem adepti erant. Hoc quoque in memoriam revocandum est, veteres Graecos puro et incorrupto sanguine ortos cives in finibus continuisse, neque eos dispersisse; secundum hanc vero, quam viri docti fingunt legem, ii tantum retenti esse videntur, qui non veri et legitimi cives erant (*οἱ ἀποδοκιμασθέντες*), quod absurdum est. Unum tantum reliquum esse videtur, ut voc. *δοκιμασθῆναι* non de probatione illa dictum, sed pro voc. adultus positum esse statuamus[7]); sed etiam contra hanc interpretationem proferri potest, quod non raro pueri ante pubertatis annos cum parentibus emigrabant et in aliis civitatibus peregrinorum jure vivebant[8]). Quae quum ita sint, etiam haec interpretatio falsa est, adultos tantum emigrandi veniam accipere potuisse, et scriptura *δοκιμασθῇ* est rejicienda; in codice Venet. Ξ vero ejus loco voc. *δοκιμάσῃ* legitur, quod solum aptam praebet sententiam. Eo inter Platonis verba recepto, ad nullam neque certam aetatem neque certam reipublicae rationem respicitur, sed tantum significatur, quemque emigrare posse, qui leges et reipublicae statum perscrutatus sit cognoveritque, neque hunc neque illas sibi placere. Haec igitur activa verbi forma *δοκιμάσῃ* inter Platonis verba est recipienda.

Longe aliter res se in ejusdem dialogi capite tertio, pag. 14, b. ed. Stephan. habet, ubi Crito Socratem his verbis alloquitur: *ἔτι καὶ νῦν ἐμοὶ πείθου καὶ σώθητι· ὡς ἐμοί, ἐὰν σὺ ἀποθάνῃς, οὐ μία ξυμφορά ἐστιν, ἀλλὰ χωρὶς τοῦ ἐστερῆσθαι τοιούτου ἐπιτηδείου, οἷον ἐγὼ οὐδένα μή ποτε εὑρήσω, ἔτι δὲ καὶ πολλοῖς δόξω, οἳ ἐμὲ καὶ σὲ οὐκ ἴσασιν.* Sic verba typis exscribenda curaverunt I. Bekkerus, Stallbaumius, Turicenses, Heldius, Cronius, sed in codd. manuscriptis vv. *οὐ μία ξυμφορά ἐστιν, ἀλλὰ χωρὶς τοῦ ἐστερῆσθαι* vario modo scripta inveniuntur, ut pro *χωρὶς μὲν τοῦ* in omnibus legitur *χωρὶς μὲν σοῦ*, quod recte a F. A. Wolfio emendatum est, quum *χωρίς*, quantum equidem invenire possum, apud Platonem nusquam cum puro infinitivo, sed cum infinitivo, qui cum articulo conjunctus est, construatur[9]). Etiam v. *ἐστερῆσθαι* non recte positum esse videtur, quum idem sit atque

---

[6]) Schoemann. jus public. pag. 198. sq. Comit. pag. 331. sq.

[7]) Tittmann in libro, qui griechische Staatsverfassung. inscribitur pag. 320. adnot. 64. vocab. *δοκιμασθείς* apud Isocratem hac significatione dicit inveniri.

[8]) Hoc Suidas s. v. *Εὐριπίδης* Tom. I, pag. 639, 14. Bernhard., de Euripide narrat.

[9]) Platon. conviv. p. 173, c. 184, b. Parmen. pag. 140, a.

privatum esse, neque Crito ita loqui aut possit aut debeat ac si jam privatus sit; sed significare tantum potest, fortasse futurum esse, ut privetur aut privatus sit. Praesentis temporis actio perfecta ἐστερῆσθαι porro h. l. cum futuro δόξω conjuncta est, quod secundum leges formarum temporum conjungendarum fieri non potest, sed futurum δόξω formam, qua futuri temporis actio perfecta exprimitur, i. e. futurum tertium ἐστερήσεσθαι ad se adsciscere debet. Non minus in vv. οὐ μία ξυμφορά ἐστιν futuri temporis notio desideratur, ut pro v. ἐστίν futurum ἔσται inter Platonis verba recipiendum sit. Quae quum ita sint, scribendum est: οὐ μία ξυμφορὰ ἔσται, ἀλλὰ χωρὶς τοῦ ἐστερήσεσθαι, i. e. Etiam nunc mihi obtempera et serva te, quum mihi, si tu obieris, non una calamitas futura sit, sed praeterquam quod tali amico privatus ero, qualem nunquam inveniam, etiam multi, quibus ego et tu incogniti sumus, putabunt.

Tertius locus, qui aliquid offensionis habet, in ejusdem dialogi capite octavo, pag. 48, b. Stephan. legitur his verbis conscriptus: ἀλλὰ μὲν δή, φαίη γ' ἄν τις, οἷοί τ' εἰσὶν ἡμᾶς οἱ πολλοὶ ἀποκτιννύναι. ΚΡ. Δῆλα δὴ καὶ ταῦτα· φαίη γὰρ ἄν, ὦ Σώκρατες. ΣΩ. ἀληθῆ λέγεις, ἀλλ' ὦ θαυμάσιε, οὗτός τε ὁ λόγος, ὃν διεληλύθαμεν, ἔμοι γε, δοκεῖ ἔτι ὅμοιος εἶναι τῷ καὶ πρότερον· τόνδε αὖ σκόπει· Socrati igitur loquenti Crito verbis ejus repetitis respondet, id est ea affirmat, quae Socrates dixit, deinde vicissim Socrates quae Crito dixerat affirmat. Quae verbosa loquendi ratio etiam apud Platonem mihi dubitationem injicit. Deleo igitur verba δῆλα δὴ καὶ ταῦτα· φαίη γὰρ ἄν, ὦ Σώκρατης, et scribo: ἀλλὰ μὲν δή, φαίη γ' ἄν τις, οἷοί τ' εἰσιν ἡμᾶς οἱ πολλοὶ ἀποκτιννύναι. ΚΡ. Ἀληθῆ λέγεις. ΣΩ. ἀλλ' ὦ θαυμάσιε, οὗτός τε ὁ λόγος κτλ. et verto: At vero, dixerit aliquis, vulgus nos occidere potest. Crit. Vera dicis. Socr. At, vir mirabilis, haec ratio, quam persecuti sumus, eadem esse videtur cum priori, et hanc quoque considera.

Sed haec hactenus, nam transeundum ad id est, quod scribendi occasionem dedit, ad diem festum indicandum, qui Sommero jubente discipulorum orationibus est celebrandus.

Sonnabend den 20. December wird früh um 10 Uhr im Gymnasium die von dem Superintendenten Sommer begründete Redefeierlichkeit zum siebenundneunzigsten Male begangen werden. Stiftungsgemäß werden bei derselben Reden vortragen

1) der Primaner Günther Rudolf Heinrich Leo aus Rudolstadt über den Spruch Schillers:

   Immer strebe zum Ganzen, und kannst du selber kein Ganzes
   Bilden, als dienendes Glied schließ an ein Ganzes dich an.

2) der Secundaner Ludwig August Löle aus Neuhaus, welcher den Kampf Hermanns und der Cherusker gegen die Römer darstellen wird.

3) Friedrich August Reinhold Sontag aus Geiersthal wird den gewerbartigen Kunstbetrieb der Städte Deutschlands im 16. Jahrhundert zu schildern suchen.

Gedichte werden vortragen der Secundaner Hermann Reinhold Roß aus Rudolstadt, der Tertianer Georg Ferdinand Guido Grau aus Orlamünda, der Quartaner Albin Rudolf Gehring aus Scheiba, der Quintaner Albert August Gustav Petersilge aus Stadtilm und die Schüler der ersten und zweiten Realclasse Franz Oskar Günther aus Naschhausen und Ludwig Oswald August von Obstfelder aus Löhma.

Der Gymnasialchor wird singen:

1) Motette von Möhring: Hoch thut euch auf, ihr Thore der Welt, daß der König der Ehren einziehe.
2) Motette von Otto Braune: Ich will rühmen Gottes Wort (Psalm 56, Vers 11—14.).
3) Motette von Mehul aus Jacob und seinen Söhnen: „Gott Israels.“

Zum Schluß wird der Choral „Nun danket alle Gott“ gesungen.

Zur zahlreichen Betheiligung an dieser Feierlichkeit ladet ganz ergeben ein

Dr. Karl Wilhelm Müller.